

Text 4: Text zum Verhältnis der Gr. zur Lat. Literatur u. Kunst

1. Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat; in quo erat facile vincere non repugnantes. 2. Nam cum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poëtarum, si quidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poëticam nos accepimus.

3. Annis fere DX post Romam conditam *Livius* fabulam dedit C. Claudio, Caeci filio, <et> M. Tuditano <entibus> consulibus, anno ante natum *Ennium*; qui fuit maior natu quam *Plautus* ac *Naevius*. 4. Sero igitur a nostris poëtae vel cogniti vel recepti.

5. Quamquam est in Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus, honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Fulvio Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxisset. 6. Duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, *Ennium*. 7. Quo minus igitur honoris erat poëtis, eo minora studia fuerunt; nec tamen, si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt.

8. An censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polyclitos et Parrhasios fuisse?¹ Honos² alit artes omnes incenduntur ad studia gloria iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur.

¹ P. und P. waren Maler bzw. Bildhauer aus Griechenland.

² Warmduscher, Übersetzungsleser und Leute, die Cornflakes mit heißer Milch essen, lesen *honor*.

Text 5: Text zum Verhältnis der Gr. zur Lat. Literatur, hier Filosofi

1. Non eram nescius, cum ea, quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractavissent, Latinis litteris mandarem, fore, ut³ hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. 2. Nam quibusdam – et eis non admodum indoctis – totum hoc displicet philosophari⁴. 3. Quidam autem non tam id non reprehendunt, si remissius⁵ agatur, sed tantum studium tamque multam operam ponendam (esse) in eo non arbitrantur.

4. Erunt etiam, et ii quidem eruditi Graecis litteris, contemnentes Latinas litteras, qui se dicant in Graecis legendis operam malle consumere. 5. Postremo aliquos futuros (esse) suspicor, qui me ad alias litteras vocent, genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae⁶ tamen et dignitatis esse negent. 6. Contra quos omnes dicendum (esse) breviter existimo.

7. Quamquam: Philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, cum esset accusata et vituperata ab Hortensio⁷. 8. Qui liber cum probatus et tibi videretur et iis, quos ego posse iudicare mihi viderer, plura suscepi, veritus, ne movere hominum studia⁸ viderer⁹, retinere¹⁰ non posse.

9. Ii autem, qui – etsi hoc placeat – moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri reprimique non potest.

184 Wörter

³ fore, ut + Konjunktiv: "dass es passieren werde, dass".

⁴ totum hoc philosophari: "das Philosophieren insgesamt".

⁵ remissus, a, um: hier "gelassen".

⁶ personae (Gen.) est: "es zeugt von Persönlichkeit".

⁷ Q. Hortensius Hortalus, 114 - 50 v. Chr., tritt in einem Dialog Ciceros auf.

⁸ studium, i, n.: hier "das Interesse".

⁹ videri: hier "den Anschein erwecken".

¹⁰ (studia) retinere: hier "fesseln".

Im Vorwort einer philosophischen Schrift setzt sich Cicero damit auseinander, dass einige Leute Anstoß nehmen an seiner philosophischen Schriftstellerei. Dabei seien sie nicht konsequent, wenn sie einerseits schlechte lateinische Übertragungen von griechischen Dramen läsen, es aber verschmähten, wenn griechische Philosophie auf Latein dargestellt werde.

Sunt isti nimis curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor.

Iis igitur est difficilius satis facere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos sermo patrius, cum eidem fabellas Latinas ad verbum¹ e Graecis expressas non inviti legant.

Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii² Medeam aut Antiopam Pacuvii² spernat aut reiciat, quod se eisdem Euripidis² fabulis delectari dicat, sed Latinas litteras oderit?

Synephebos ego, inquit, potius Caecilii² aut Andriam Terentii² quam utramque Menandri² legam? A quibus tantum dissentio, ut, cum Sophocles² vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii² mihi legendam (esse) putem, de quo Lucilius³ scribit eum esse „ferreum scriptorem“, verum, ut opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit. Rudem enim esse omnino in nostris poetis aut inertissimae segnitiae est⁴ aut fastidii delicatissimi. Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt.

An „Utinam ne in nemore ...“⁵ nihilo minus legimus quam hoc idem Graecum, quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine?

1. ad verbum: „wortwörtlich“

2. Ennius, Pacuvius, Caecilius, Terentius, Atilius: allesamt *römische* Dramen-Dichter, die auf Latein Stoffe griechische Tragödien und Komödien geschrieben haben – z.B. die „Medea“, „Antiopa“, „Synephebi“, „Andria“, „Electra“ des Euripides, Menander oder Sophocles.

3. Lucilius: ein römischer Literaturkritiker

4. *segnitiae est* + AcI: „dass etwas so ist, ist ein Zeichen von Gleichgültigkeit“

5. „Utinam ne in nemore...“ („O dass doch nicht im Walde“) ist kein vollständiger Satz, sondern ein berühmtes Zitat aus der lateinischen „Medea“ des Ennius.

Im Vorwort einer philosophischen Schrift setzt sich Cicero damit auseinander, dass einige Leute Anstoß nehmen an seiner philosophischen Schriftstellerei. Dabei geht es zunächst um den Vorwurf, Cicero sei ein reiner Übersetzer griechischer Inhalte – ohne jeden literarischen Anspruch. Außerdem begegnet er dem Einwand, was er behandle, sei bereits genug behandelt.

Quid? Si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab eis¹, quos probamus, sique eis¹ nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus – quid habent², cur Graeca anteponant iis, quae et splendide dicta sint neque sint conversa³ de Graecis?

Nam si dicent² ab illis has res esse tractatas, non est, cur etiam ex Graecis solum tam multos legant, quam legendi sunt:

Quid enim est a Chrysippo⁴ praetermissum in Stoicis?⁵ Legimus tamen Diogenem⁴, Antipatrum⁴, Mnesarchum⁴, Panaetium⁴, multos alios imprimisque familiarem nostrum Posidonium⁴. Quid? Theophrastus⁴ mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele⁴ ante tractatos? Quid? Epicurei⁵ num desistunt ad arbitrium suum scribere de iisdem, de quibus et ab Epicuro⁴ scriptum est et ab antiquis? Quodsi Graeci leguntur a Graecis iisdem de rebus alia ratione compositis, quid est, cur nostri a nostris non legantur?

Quamquam: Si plane sic verterem Platonem⁴ aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas, male mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. Sed id neque feci adhuc neque mihi tamen, ne faciam, interdictum esse puto. Locos quidem quosdam, si videbitur⁶, transferam – et maxime ab iis, quos modo nominavi.

1. gemeint sind die Verfasser der griechischen Vorbilder

2. gemeint sind Ciceros Kritiker

3. convertere: „Wort für Wort übersetzen“

4. Chrysippus, Diogenes, Antipater, Mnesarchus, Panaetius, Posidonius, Theophrastus, Aristoteles, Epicurus, Plato: allesamt griechische Philosophen

5. Stoici, Epicurei: die „Stoiker“ bzw. „Epikureer“: Anhänger verschiedener Philosophenschulen

6. videri: hier „gut scheinen